

Cujus sub pedibus

Corniger est valido connixus corpore Taurus.

Ejus caput stellis conspersum est frequentibus:

Has Graeci stellas Hyadas vocitare suerunt,
a pluendo; οὐειν enim est pluere.

Nostri imperite sucas: quasi a subus essent, non ab
imbribus nominatae. Minorem autem Septemtrionem Cepheus
passis palmis a tergo subsequitur.

Namque ipse ad tergum Cynosuræ vertitur Arcti.

Hunc antecedit

Obscura specie stellarum Cassiopea.

Hanc autem illustri versatur corpore propter

Andromede, fugiens adspectum maesta parentis.

Huic Equus ille jubas quatiens fulgore micanti,

Summum contingit caput alvo: stellaque jungens

Una, tenet duplices communi lumine formas,

Aeternum ex astris cupiens connectere nodum.

Exin contortis Aries cum cornibus haeret.

Quem propter

Pisces, quorum alter paullum praelabitur ante,

Et magis horriferis aquilonis tangitur auris.

Cap. XLIV. Ad pedes Andromedae Perseus describitur,

Quem summa ab regione aquilonis flamina pulsant.

Cujus propter laevum genu

Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.

Inde Fides leviter posita et convexa videtur.

Inde est ales avis lato sub tegmine coeli.

Capiti autem Equi proxima Aquarii dextra, totusque deinceps
Aquarius.

Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans,
Corpo semifero magno Capricornus in orbe.

Quem quum perpetuo vestivit lumine Titan,

Brumali flectens contorquet tempore currum.